



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

**Geismar, Justus Moritz von
Coloniæ Agrippinæ, 1691**

Ad tit. XV. de sacra Unctione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

ritur Sacerdotium. Bonacin. in verb. Ordo. num. 2. Sunt autem omnes Ordines etiam minores eminenter instituti in ultima cœna. Bonac. n. 4. Ubi nota, quod omnis baptizatus, etiam infans, sit subjectum capax Ordinis per se, quod probatur per *cap. cui infr. de Cler. per salt. prom.* Ubi ordinatus inter annos discretionis, non reordinatur, Bonac. num. 17. ut & tali Episcopatus conferri possit, qui Episcopus erit Titularis. n. 18. Hæc autem intellige absolute & ad hoc, ut imprimatur character, jus enim certam ætatem requirit. Cui autem ordinandus debeat habere titulum, observe titulum esse triplicem. Primus est titulus beneficii Ecclesiastici, secundus est patrimonii, seu pensionis seu priorum bonorum. Tertius est titulus Professionis in Religione Bonac. *ibid.* n. 17.

A D T I T. XIV.

De *Ætate & Qualit.*

Ad Num. 9. in fine adde. Opponi solet *dist. 79. Can. 2.* ubi dicitur quod facta Ordinatio sine titulo, irrita habeatur, unde inferunt, ergo est nulla. Respondeo sensum esse quod talis ordinatio erit sine excusatione.

A D T I T. XV.

De *sacra Unctione.*

Ad Num. 3. ad finem adde: Et licet Apostoli per solam manuū impositionem sine Chrismate confirmaverint, uti legere est *Actor. 8.* Hoc tamen factum est ex speciali dispensatione Christi pro eo tempore, quod Spiritus

Sanctus sub visibilibus signis descende-
bat, quando verò hæc signa cessarunt,
ulsi sunt etiam chrismate,

Quæres: Ubi institutum sit Sacramentum Confirmationis? Respondeo probabilius, quod in Cæna Domini, quia illud tempus erat maxime idoneum, in quo toties promisit Spiritum sanctum. *Tann. Tom. 3. dist. 3. q. 1.*

Ad Num. 4. in fin. adde: Obijciens Cornelius & socii ejus ante Baptismum acceperunt Spiritum sanctum. *Actor. 10. vers. 44 & 48.* Ergo Baptismus non est janua. Respondeo quod illi, vel jam fuerint baptizati Baptismo fluminis, vel extraordinario modo sine Sacramenti alicujus applicatione Spiritum sanctum acceperint.

Ad Num. 9. in fin. Adde: Quæres: quando instituta extrema Unctio? Respondeo probabilius esse, quod à Christo instituta sit post Resurrectionem, quando instituit pœnitentiæ Sacramentum, quia præsupponit potestatem remittendi peccata, & in materia conservanda Episcopalem benedictionem. Hanc autem contulit post Resurrectionem. *Joan. 20. Ergo.*

A D T I T. XVI.

De *Sacramentis non reiterandis.*

Planè ad finem Tituli adde: Quæres: An Ordines minores sint Sacramentum. Respondet Divus Thomas & alii, quod sic, ratio, quia per unumquemque eorum datur potestas ordinato ad exercendam aliquam functionem in ordine ad Eucharistiam. Sed dices: Isti Ordines non sunt à Christo im-